



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 15. Novæ Lauræ principia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](#)

nona, id est, anno 501. S. Saba annum <sup>Sæculum VI.</sup>  
vitæ sexagesimum tertium agente. <sup>A. C. 512.</sup>

## §. XV.

*Novæ Lauræ Principia.*

Majore Laura, & Monasterio Castellensi ita florentibus, grandis tempestas in S. Sabam exorta. Falsi fratres olim S. Sabæ accusatores necdum acquiescebant. Quadraginta erant hac domestica conjuratione impliciti. Ipse cedere hominibus, & pugnare contra Dæmones adsuetus, recessit Scythopolim versus in antrum, quod ingentis magnitudinis Leo in Sedem elegerat, & sancto Viro adveniente reliquerat. Plu-<sup>n. 34. p. 268.</sup>ribus deinde illo confluentibus Discipulis, eorum aliquis, cui nomen Eumathius, antrum mutavit in Monasterium, eique Abbas præfuit. S. Sabas magno adventantium hominum numero fatigatus, quippe miraculorum, quæ patrabat, frequentia plurimos in illum locum pertrahebat, ad suam Lauram rediit; cum vero videret refractariorum numerum ad sexaginta excreuisse, iterum fugiens, venit in Regionem Nicopolitanam, ubi ei quidam amici Cellulam construxerunt, quæ futuri Monasterii fuit initium. Interea ipsius Adversarii vulgabant, Sabam a Leonibus fuisse devoratum, & Jerosolymam se contulerunt, petentes alium Abba-

n. 33.

Sæculum VI. Abbatem. Verum Patriarcha Mona-  
A. C. 512. chos dimisit jussos S. Virum investigare,  
Cum Festum Dedicationis S. Sepulchri  
advenisset, S. Sabas, ut Abbates solebant,  
Jerosolymam perrexit; eumque Elias  
Patriarcha lætitia exultans, quod vive-  
ret, ad Lauram suam remisit.

n. 35. n. 36. Monachi seditiosi ipso adveniente re-  
cesserunt, & prope Thecuam Cellulas  
ab aliis derelictas occuparunt. Hæc  
novæ Lauræ origo fuit. S. Sabas, post-  
quam comperit, ubi essent, secutus est  
eos, omnia, quæ deficiebant, suppedita-  
vit, & accendentibus Patriarchæ Bene-  
ficiis, Ecclesiam ipsis ædificavit, anno æ-  
tatis S. Viri sexagesimo nono, id est, 507.  
dedicatam. Cum tanta charitas rebel-  
les animos emolliisset, Superiorem, cui  
nomen Joannes, Discipulorum ipsius pri-  
mum, receperunt. Alia præterea fun-  
davit Monasteria, cum de loco uno in  
alium saepius migravit, septemque ipse  
solus rexit. Talis erat S. Sabas, quan-  
do eum Elias Patriarcha ad Anastasium  
Imperatorem ea, ut retulimus, Legatio-  
nis fortuna dimisit.

### § XVI.

*Symmachii Papæ Epistolæ ad O-  
rientales.*

Ecclesia Orientalis his modis afflita a  
Symmacho Papa opem imploravit,  
data